COMMENTATIONIS MEDICAE

DE

PHTHISI HEPATICA

SECTIO PRIMA

SYMPTOMATOLOGIAM SISTENS

AVCTORE

THEODORO GVILIELMO SCHROEDER

MEDICINAE DOCTORE.



GOETTINGAE

APVD VIDVAE b. ABRAH. VANDENHOEK

1783.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PHTHISEOS HEPATICAE SYMPTOMATA.

§. I.

Generalia exponens.

Plurimorum phthiſeos generum ſedis atque cauſarum perquiſitio licet multum habeat laboris atque difficultatis: Omnia tamen, quorum in abdomine ejusque viſceribus fontes latent, proximarum cauſarum incertitudinis ratione reliquis antecellere videntur. Hisce et *Phthoë hepatica* annumeranda, corporis ab jecinoris, nobilioris iſtius viſceris, ſuppuratione et exulceratione originem ducens conſumtio; morbus vere non rarus, qui aeque aegrum maxime cruciat ac medicum vexat, non enim tantum eſt affectio ſumme dolorifica, ſed maxime

etiam periculoſa et anceps. Notum enim eſt ex Phyſiologicis, omnium corporis humani humorum in putredinem maxime pronam evadere bilem: Hinc obortam in iſtius humoris ſecretioni dicato viſcere ſuppurationem rariſſime ſane benigni moris, ſed e contrario ſumma plerumque in putredinem pronitate ita praeditam eſſe, ut magis ſaniei nomen quam benigni puris iſti materiae conveniat, facile patere videtur. Teſtantur id quoque ſummorum et plurimorum medicorum obſervationes, quarum proferre quasdam liceat. Sic ſcripſit AETIUS (a), ubi de hepatis ulcere laborantibus obſervationes ſuas tradidit: *In his ſan[…] venter cruenta et putrefacta ac ſanioſa excer[…]nit: atque omnino conſimilia ex hepatis ulce[…]ribus promanare ſolent his, quae a mortuo[…]rum corporibus deſtillant: quare quidam inex[…]perti decepti, dyſenteriam hanc affectionem putaverunt.* Similia ex quodam HIPPOCRATIS effato (b) eluceſcere videntur nam, *Quicunque*, ait, *hepate ſuppurato u[…]runtur, ſiquidem pus purum fluat et album ſupe[…]*

(a) Tetrabibli III. Serm. II. cap. V. m. 558.

(b) Aphoriſm. Sect. VII. n. 45.

ſuperſtites evadunt; in tunica enim pus his ineſt. Si vero velut amurca fluat, pereunt. Diſtinxit itaque Cous ille ſenex, id quod et noſtri faciunt, utrum ſolam hepatis ſuperficiem, an vero internam ejus ſubſtantiam occupet purulenta materies. Illa enim externa non aeque ac interna bile perſuſa, illa non aeque ac haec mollis atque friabilis texturae exiſtit; exindeque facile perſpiciendum, illius ſuppurationem non aeque ac hujus malignam eſſe, hincque et in illa multo minus quam in hac periculum imminere, id quod HIPPOCRATIS verba docent. Plures ejusmodi obſervationes IOANNES SCHENCKIVS et THEOPH. BONETVS nobis tradidere; in quo ultimo (c) inter multas alias eorum legi narrationem, quae in corpore quodam hoc morbo defuncto reperta ſunt, in quo nempe cadavere erat *hepar, quod concluſum in ſe habebat foetidiſſimum abſceſſum, pure viridi teterrimi odoris refertum.* Rariſſima e contrario ſunt exempla, quae boni et ſalutaris in hepate puris generationem doceant; unicum ſaltim obſervatorum ſcripta per-

 le-

(c) Sepulchret. anatom. L. III. Sect. XVII. obſ. II. §. 2.

legens equidem in DIEMERBROECKIO (d) inveniſſe recordor, qui in cadaveris cujusdam ſectione reperta profert, in cujus *convexa et inferiore hepatis parte, circa nonam coſtam, latebat ulcus pure bene cocto repletum.* Sed haec pro generali hujus morbi naturae et indolis deſcriptione jamjam ſufficiant. Notandum vero eſt, hanc quoque ejusmodi eſſe affectionem, ut quandoque absque omnibus praegreſſae inflammationis ſignis oriatur, imo et ſaepiſſime aliorum morborum faciem ita induat, ut de hepatis vitio ne ſuſpicio quidem medicorum animos incurrat; ſicque morbum evadere, qui innumeris vicibus medentem fallit decipitque. Quae omnia modo prolata ſummorum medicorum experientia docet atque confirmat: Phthoën enim hepaticam tam multa quandoque clara manifeſtaque concomitari ſymptomata, ut unicuique medicarum rerum non ignaro ejus praeſentia in oculos incurrat, obſervaverunt iſti; ſed e contrario etiam teſtantur, maximam ſaepe illorum ſymptomatum partem plane non, ſed

(d) ISBRANDI DE DIEMERBROECK anatome corpor. human. Lugd. 1683. L. I. c. XIII. p. 73.

ſed hoc vel illud tantum animadverti, ex quo morbi cauſam ſedemque certitudinis ſolatio ſuffultus cognoſcere ſane non poteris. Haecque ſubeſt hepatis abſceſſuum in manifeſtos et latentes diviſionis ratio, ſecundum quam diſtinctionem et hanc de ſymptomatibus tractationem ita inſtituam, ut omnibus manifeſtos concomitantibus expoſitis et quaedam de latentibus proferam, atque diſquiram, annon forte certiora quaedam ſigna conſtitui poſſint.

Obſervatur vero et ſymptomatum diverſitas pro diverſo abſceſſus ſitu, alia enim ſunt in media hepatis ſubſtantia formato abſceſſu, alia, in ſuperficie hepatis gibba, alia, in concava illò verſante, alia tandem, verſus diaphragma eo ſpectante: hinc et hujus diverſi ſitus, ubicunque occaſio oblata fuerit, ſymptomatum mentionem faciam.

Sed tandem etiam duo in hoc morbo ſtadia diſtinguenda, *ante* et *poſt* ruptionem vel alium quemcunque abſceſſus exitum; utrumque enim ſtadium diverſa concomitantur ſymptomata, et quum in utroque variae prognoſes formandae, va-

riae etiam medendi methodi adhibendae, medico etiam ſigna, quibus alterum ab altero diſtinguere queat, in promptu ſint neceſſe eſt, hincque et in hac tractatione huncce ſecuturus ſum ordinem.

A. PRIMI STADII SYMPTOMATA.

§. II.

Dolores.

Dolores non ſolum primum in hoc noſtro morbo ſymptoma eſſe, ſed et utplurimum conſenſualibus exceptis locum affectum indicare quum ſoleant, hincque quae ſentiat aeger? inter primas medentis quaeſtiones eſſe debeat: Eorum expoſitio in ſymptomatum enumeratione primum ſane locum mereri videtur. Auctorum narrationes, licet omnes in eo conveniant, quod dolorum praeſentiam affirment, in eorum tamen qualitatis et naturae expoſitione maxime diſcrepant. Sic Medici VRATISLAVIENSES (e) fere aliquam tantum ſentire gravitatem in dextro hypochondrio aegros affirmant; alii e

(e) Hiſtoria morbor. Vratiſlav. pag. 189.

e contrario vehementiſſimum dolorem urgere tradiderunt. Quum vero proximae doloris cauſae differant, diverſae etiam ejus ſpecies oriantur neceſſe eſt, quas nunc exponere lubet. Primus, qui ex inflammationis in ſuppurationem transitu naſcitur, *dolor pulſatorius* eſſe conſuevit, hunc enim inter praecipua hujus inflammationum exitus eſſe ſigna, ex chirurgicis principiis liquet. Scripſit autem clar. MVRRAY (f), hunc dolorem pulſatorium prope integumenta naſcente abſceſſu praeprimis obſervari. Puris quantitate vero aucta, id quod ejus naturae proprium exiſtit, tum, praeſertim ſi internam jecinoris ſubſtantiam occupet ſuppuratio, *dolor gravativus* in illius locum incedit; hepatis enim pondere aucto non in loco tantum affecto gravitatis ſenſus oriatur, ſed et diaphragma, cum quo mediantibus ligamentis cohaeret jecur, deorſum trahatur neceſſe eſt; quo huic aeque membranae muſculoſae, ac ſuperioribus quibusdam corporis partibus tractionis ſenſus imo non raro acutus dolor

(f) ANDR. MVRRAY diſſ. de Hepatitide maxime Indiae orientalis. Goettingae 1779. p. 28.

communicatur, qui ſaepiſſime ad pleuram uſque jugulum et ſummum humerum pertingit, id quod multorum ſcriptorum teſtimonia confirmant (g). Exiſtunt quidem collecti in jecinore humores inter praecipuas hujus gravativi ad extremum humerum procedentis doloris cauſas, conjungit vero ſeſe huic alia haud minoris ſane momenti, ex nervorum communicatione explicanda (*). Hepar enim ab intercoſtali magno, qui a ramo quinti et ſexti paris origines habet, nervis ſuppletur. Iam vero ſatis conſtat, par illud ſextum cum reliquis fere totius corporis nervis aliquo modo commercium habere. Continuatio enim ſexti paris, quae intercoſtali magno natales praebet, quam primum per canalem caroticum e cavitate cranii egre-

(g) ARETAEVS de cauſ. et ſign. morb. diut. L. I. c. XIII. H. BOERHAAVE de cognoſc. et curand. morb. aphor. 935. THEOPH. BONETVS ſepulchr. anat. L. III. ſect. XVII. obſ. II. §. 17. et 19. pag. 298.

(*) TISSOT Abhandl. von den Nerven und ihren Krankheiten. A. d. Franz. ueberſ. von F. A. WEBER. Erſt. Band. IVtes Cap. Seite 94. folg. S. 151. ff. Zweyt. Band. Xtes Cap. IVter Art. S. 560.

egreditur, tria ganglia collo dat, quae quidem cum primi, ſecundi, quarti, quinti et ſexti parium cervicalium propaginibus copulari videntur. Forte et in hujus doloris explicatione oſcillationibus quibusdam pleurae contiguae a peritonaeo inflammato impertitis quidquam culpae tribuendum, quae inde ſurgentes ad acromium tandem perveniunt, ibique coacervatae ſedem figunt, et dolorem excitant. BALLONII (h) vero ſententiae equidem non adſcribo, utpote qui a venae cavae aut arteriae diſtenſione illum dolorem originem ducere credit; ratio enim et modus, quo per hanc diſtenſionem dolor in pleura et ſummo humero naſci poſſet, mihi ſaltem nimis excelſus, altior inſuper cauſa, cur, ſi illa diſtenſio vere in iſtius doloris fontibus eſſet, non prius in ſuis functionibus turbetur contiguum cor. Perſeverare hic dolor plerumque ſolet, donec abſceſſu diſrupto vel in cavum abdominis effuſa, vel alia quacunque ratione evacuata ſit purulenta materies. Morbo progrediente, benigni puris loco maligno ſanioſo putrido incedente et

(h) Conſil. medicinal. T. II. L. I. p. 340.

et acri, id quod hic, uti ex praecedente paragrapho patet, utplurimum fieri conſuevit, ex illius materiae ſtimulo alia adhuc doloris ſpecies generatur, quae *urens* eſt atque *pungens*, idque quod *ulceroſum* (i) vocant habet ſpecificum, et hosce aegros quam maxime cruciat (k).

Non raro etiam illos hoc morbo laborantes aliud dolorum genus, *cephalalgia* nempe *conſenſualis* affligere ſolet. Nam vitioſa primarum viarum colluvie inprimis bilioſa praeſente innumeris vicibus conſenſualem oriri capitis dolorem (l), pertrita res eſt atque vulgaris; inde non ſa-

(i) ARETAEVS loc. cit. I. B. BIANCHI hiſtor. hepat. T. I. P. III. p. 372. LAZ. RIVERIVS prax. med. L. XI. c. II. p. m. Tomi II. 12. BONETVS loc. cit. §. 6. pag. 296. §. 15. pag. 297. obſ. III. not. pag. 298. et IOAN. SCHENCK obſerv. med. L. III. obſ. 19.

(k) FABRIC. HILDANI obſerv. med. Part. I. p. 377. ubi dolor adeo vehemens fuit, ut dies noctesque ejulare coactus fuerit aeger. Credit quidem HILDANVS, id proveniſſe a bile in inteſtina promanante.

(l) Cfr. doctiſſ. diſſert. cel. I. H. RAHN ſiſt. mirum inter caput et viſcera abdominis commercium. Goettingae 1771. §. IV. pag. 7. ſeqq.

ſane mirum, quod et in hoc morbo obſervetur, quum bilis per ductum choledochum in inteſtinum duodenum deducta quin ſumme vitioſa ſit, non ſane queat. Deinde etiam ex partium in abdomine ſitarum exulceratione cephalalgia oborta quandoque eſt deprehenſa, dum puris acrimonia, quae et in noſtro morbo in hepate generatur, nervos irritat, ſicque affectus per conſenſum producit (m).

Summae etiam anxietatis, quae hosce aegros non raro vexat, mentionem injiciendi hic ſane locus eſſe videtur. Quae enim licet a dolore eo differat, quod praeſente malo doleamus, imminente vero angamur, in eo tamen conveniunt, quod ambo ſint triſtes et moleſtae corporis ſenſationes. Anxietas omnino eſt dolore terribilior, ipſa quandoque morte intolerabilior (n). Hepatis exulceratione praeſente ex duplici naſcitur fonte. Primus eſt impeditus per venam portarum ejusque ra-

(m) Cel. RAHN diſſ. cit. §. VIII. pag. 16. ſequ.

(n) H. D. GAVBIVS in inſtitut. pathologiae medicinal. §. 682. pag. 358.

ramos ſanguinis tranſitus (o). Quo enim viſcere ita deſtructo, uti ſaepiſſime obſervatur, ſimulque abſceſſu ipſo, non raro ex obſtructione oborto, proxima vaſa comprimente, ſanguinis in vaſis hepaticis circuitum non libere procedere poſſe facile intelligitur; ſicque agendo hoc malum libero humorum per vaſa motui obſtaculum ponendo non ſufficientem ſanguinis quantitatem cordi admittendo ejus contractioni debitae et ordinariae reſiſtentiam adauget, uti docuit GAVBIVS (p), ſicque et liberum ſanguinis per pulmones circuitum impedire valet; qui vero et alia ratione in hoc morbo prohiberi ſolet. Nam materiei purulentae acrimonia aeque ac hepatis pondus vel irritando vel tendendo et trahendo ſpaſmos in diaphragmate, in pleura proximisque partibus progignit, qui impediunt, quo minus debite ſeſe expandere atque deſcendere queant pulmones. Porro etiam preſſio, quam in inſpirationis actu deſcendens diaphragma in he-

(o) Expoſuit hanc materiem ſolita ſubtilitate et perſpicacitate ill. V. SWIETEN Comment. in H. BOERHAAVII aphor. T. II. p. 191. ſſ.

(p) loc. cit. §. 689. pag. 361.

hepar exſerit, quum aegri in hoc viſcere dolores adaugeat: Non raro inde ipſe aegrotus ſepti transverſi deſcenſum cavere conatur, hincque ipſe liberam reſpirationem prohibet, qua prohibita anxietatem oriri, cognita res eſt et ſatis expedita.

§. III.

Febris.

Inter praecipua phthoës hepaticae ſicuti et cujuscunque internae exulcerationis ſymptomata febris omnino pertinet, tam ab antiquis quam recentioribus medicis nunc hecticae, nunc lentae, modo phthiſicae, modo iterum aliis nominibus vocata. In verbis ſimus faciles, modo conveniamus in re *Lentas* febres ob longiorem durationem et lentum quaſi progreſſum *acutis* febribus opponendas, et in tria genera dividendas eſſe puto: 1) *Hecticam*, quae eſt febris continua remittens cum corporis conſumtione ſine ulcere; 2) *Phthiſicam*, quoque remittentem, plerumque quotidianam, ſub qua itidem contabeſcit corpus, ſed ulcus quoddam alicubi viſcerum, interdum et exteriorum partium gravius alitur; 3) *Cachecticam*, quae eſt

eſt cum intumeſcentia corporis phlegmatica. Patet ex his, ſecundi generis, phthiſicam nempe evadere febrim, quae noſtri morbi ſymptoma eſſe conſuevit, cujus naturam et indolem in diſſertatione noſtra de pleumonide ſub hecticae nomine ulterius expoſuimus; ex qua deſcriptione ſumme neceſſaria hic loci repetenda, et quae huic febri in phthoë heparica peculiaria ſunt, proponenda cenſemus. Ex GALENI veterumque reliquorum medicorum definitione, eſſe nempe *Hecticam*, ſub quo nomine et phthiſicam noſtram comprehendebant, *febrim quae ſemper ſibi ſimilis evadat, nec invaſionem alicujus paroxyſmi, nec incrementum, nec vigorem nec remiſſionem habeat, ſic ut ſe febricitare aeger non percipiat*; ex hac definitione, inquam, ſequitur, eſſe illam quoad periodum continuam continentem; et licet omnes tempore veſpertino febris exacerbationem obſervarent, hanc tamen minus febris naturae magis contra aſſumtis meridie cibis attribuerunt; quorum non tantum concoctionem ſanguinis motum adaugere, ſed et in hunc tranſitum poſt illorum in chylum transmutationem, febri nutrimentum quaſi praebere putarunt. Pro-

pria

pria vero experientia equidem ſuffultus perſuaſum mihi habeo certo certius, iſtas febris phthiſicae exacerbationes attamen incidere, quamvis ne minimum quidem ciborum aſſumſerit aeger; quamobrem cum clar. SELLE aliisque hoc febrium genus inter remittentes ponendum eſſe affirmo. In Phthoa hepatica iſtae remiſſiones eo notabiliores omnino evadere ſolent, quo major adeſt bilis et pituitae in primis viis copia, LOMMII (q) enim et PRINGLII (r) obſervationes docent, omnes febres eo magis remittere, quo majore in primis viis colluvie bilioſa conjunctae exiſtunt. Ratione phthiſicae febris indolis notandum, hancce putridam plerumque eſſe (s); reſorptum enim in ſanguinis maſſam pus quod humores corporis colliquet, ipſosque putridos reddat, non ſane eſt quod miremur. In nullo autem phtho-

(q) Obſervation. medicin. pag. 5.

(r) Obſervations on the diſeaſes of the army. pag. 169.

(s) Cfr. b. patris PHIL. GEORG. SCHROEDERI reſpond. H. E. BRANDE diſſ. ſiſt. febrium putridarum differentias. Goetting. 1768. §. XI. p. 42.

phthoum genere magis quam in hepatis exulceratione iſta febris natura eminet. Quum enim *primo* pus in ullo alio quopiam loco generatum non aeque ac in hepate procreatum in putredinem vergat; et *deinde* quum haec febris praecipue ex purulentae et ſanioſae materiae reſorptione oriatur, *pus vero illud*, uti ſcripſit VAN SWIETEN (t), *in loco calido haerens, conquaſſatum reſpirationis motu, tenuius acriusque reddatur, et facilius adhuc venis reſorbeatur:* Phthiſica illa febris in hoc morbo majori quam in ullo alio phthoës genere gradu quod obſervetur, an mirum? Adjungit ſeſe huic putridae ſanguinis diſſolutionis cauſae alia quoque eandem adaugens. Quum nempe partim ob hujus viſceris deſtructionem, partim ob continuo cum ſuppuratione praeſentem inflammationem, partim tandem ob abſceſſus in proximas partes preſſionem non poſſit per vias ſuas excretorias evacuari bilis, hincque maxima ejus pars in ſanguinem retrocedat, bilis vero ſit humor maxime in putredinem vergens: Sanguinis diſſolutionem *vel* producat, id quod non raro in icte-

(t) Loc. cit. T. III. pag. 110.

ictero obſervandi copia nobis praebetur, *vel* jam praeſente putredine eandem adaugeat neceſſe eſt.

Febrim phthiſicam ex omni parte ſolam absque ulla complicatione urgere, non ita frequens obſervatio eſt. Quum enim cujuscunque ulceris eſſe ſoleant et margines inflammati: Cum illa plerumque et inflammatoria reſpectu cauſarum nunc majori nunc minori gradu conjuncta evadit, quam complicationem contra et medendi methodus inſtituenda. Intermittentis cum phthiſica conjunctio non ſane inter rariſſimas obſervationes pertinet. Ducere ex viſcerum abdominalium obſtructione plerumque, rarius ex impresſione ob debilitatem in nervorum ſyſtema facta, febres intermittentes originem, liquet. Illam cauſam demonſtrant ſymptomata, medendi ratio, cadaverum ſectiones. Inter obſtructa viſcera non raro et hepar; obſtructio vero perſaepe inflammationis et ſuppurationis inſequentis cauſa evadit. Hinc ſi febris intermittens hepatis obſtructionem concomitetur, haecque tranſeat in inflammationem atque ſuppurationem, febris phthiſica non raro in-

termittentis typum ſervare, vel ſaltem cum ea complicari ſolet. Duplicis inſuper febrium generis, a clar. SAGAR cum hepatis exulceratione obſervati, mentio hic loci facienda. Primum eſt, quod *Amphimerinae Semitertianae* nomine inſignivit. Amphimerina eſt febris remittens cum exacerbationibus quotidianis; Semitertianae autem ſeu Hemitritaei nomen quibus datum eſt, tres videntur eſſe febrium ſpecies: 1) F. intermittens tertiana, quae paroxysmos adeo protractos habet, ut vel nulla, vel parva admodum intermiſſio obſervetur; cui eſt nomen *Hemitritaei* CELSI; 2) *Hemitrit.* GALENI, qui fit ex complicatione remittentis quotidianae cum intermittente tertiana; 3) tandem quae ex unione febris acutae continentis et remittentis tertianae naſcitur (u). Secunda, quam obſervavit clar. Vir, ſpecies eſſe videtur, ſcripſit enim (w): *Hemitritaeus eſt febris amphimerina cum tertiana, adeoque exacerbationes ſimul ſingulis diebus, alternis vero diebus majores nempe ipſius amphi-*

(u) v. SWIETEN loc. cit. T. II. pag. 446.
(w) Syſtematis morborum ſymptomatici pag. 688.

phimerinae cum paroxyſmo tertianae concurrente a frigore notabili exordiente. Animadvertit hanc febrim in domina, cujus hepar ex neglecta hepatitide ulcus fovebat. Alterum genus, quod obſervavit doctiſſ. SAGAR in matrona, cujus hepar quoque ex hepatitide neglecta ſuppuratum fuit, eſt, quod *Tetartophiae* nomine ornavit, hanc vero ſpeciem *hepatalgicam* vocavit. Eſt autem *Tetartophia* febris remittens cum exacerbationibus quartanis.

Licet autem haec omnia ſic ſeſe habeant, hujus tamen morbi praeſertim initio, dum febris phthiſica aegrum invadere coepit, quod nullum plane typum quandoque obſervet, nulloque ſtatuto tempore illum prehendat, et mitioris indolis ſit, ita ut non raro muniis ſuis fungi queat aegrotus, animadvertere medici (x). Haud longo vero tempore praeterlapſo non ſolum conſtantior evadere conſuevit, ſed et ultimis praeſertim hebdomadibus cum maxime profuſis ſudoribus colliquativis, cum ſumma virium proſtratione et corporis emaciatione conjuncta incedit, ita ut

(x) IOANN. BAPTIST. BIANCHI hiſtoriae hepaticae T. I. P. III. pag. 372.

febris tabificae et marasmodis nomen omni ſane jure illi tribuatur.

§. IV.

Alvi excretio.

Alvinarum in primo hocce ſtadio dejectionum ſingularis ſane qualitas eſſe plerumque ſolet; ſaepiſſime enim contingit, ut faeces albas vel griſeas evacuent hi aegri, id quod ex bilis, quae illis colorem fuſcum vel flavum praebere conſuevit, defectu provenire luce clarius patet. Quandoque etiam cum illis paululum ſanguinis, rarius vero in hoc primo ſtadio puris quidquam commixtum invenies. Subinde quoque hosce aegros pertinacem alvi obſtructionem vexare obſervatum eſt; ſufficiens enim ſanae bilis quantitas ciborum concoctionem quum optime ſuffulciat promoveatque, nec non iſta in excernendis reliquiis contenta bilis ex primis ſit ad deponendam alvum irritamentis: In hoc ſane morbo, quo aeque ſufficientis ac ſanae bilis defectus urget, ex hisce jamjam rationibus neque ciborum concoctio neque alvi depoſitio rite procedere poteſt.

Quan-

Quandoque vero diarrhoea ſymptomatica ex duplici fonte naſcens in obſtructionis locum incedit. Cujus enim modo mentionem fecimus, debitae ciborum concoctionis defectus cruditatum in primis viis collectionem fere neceſſariam reddit, quae partim ob ſuam ex juſto longiori mora acquiſitam acrimoniam, partim etiam ob ipſorum duritiem inteſtinorum canalem ita irritant, ut humorum affluxus debito major exinde oriatur; et hic *alter* fons. *Alter* in impedito lympharum per hepar transcurſu ſitus eſſe videtur, quae hinc unda notabili in inteſtina regurgitant.

§. V.

Urina.

Ad urinae in hoc morbo qualitatis deſcriptionem pervenio, cujus inſpectio ad explorandum hunc morbum magni ſane momenti exiſtit. Puris formationis et quodam poſt tempore, nulla adhuc in ſanguinem transgreſſa ſanie, aurantiorum colorem aemulari, pauca quantitate mitti, craſſaeque eſſe conſiſtentiae ſolet urina; tumque medici Vratiſlavienſes (y) ſedimen-

(y) Hiſtor. morbor. Vratiſl. pag. 189.

mentum multum, illudque ſubmucidum grave et ſpiſſum, ac roſei coloris in illa obſervaverunt. Simulac vero tam ichoris quam putridae et amurcoſae bilis reſorptione facta universa ſanguinis maſſa inquinata exiſtit: Liquores etiam ex illa qui praeparantur et ſecernuntur, hincque et urina, putredine contaminati ſint neceſſe eſt; tum enim, ſicut in omnibus febribus ex ſuppuratione obortis, pinguem et oleoſam varii coloris cuticulam urinae innatantem obſervamus. Praeterea quoque urina ſecreta atque miſſa coloris ſaturatiſſimi imo fere nigricantis (z) eſt; quem ſummae illius putredinis ſignum evadere eo certius exiſtit, quum et quaecunque ſana urina, dum putreſcere incipit, colorem fuſcum acquirat. Sed verum quoque pus cum urina miſſa ex multorum ſcriptorum (a) teſtimonio mixtum ſaepe animadvertitur. Puris vero cum urina excretionem abſceſſus vel clauſi ulceris in ſuperficie hepatis gibba verſantis ſignum eva-

(z) H. BOERHAAVII aphoriſm. de cogn. et cur. morb. §. 937.

(a) Vid. e. g. LAZ. RIVERII prax. medic. L. XI. c. II. T. II. p. 13. IOD. LOMMII obſerv. med. p. 189.

evadere, id quod permulti affirmarunt auctores, mihi quidem cum clar. VALCARENGHI (b) maxime incertum atque inconſtans eſſe videtur; qui enim, quum antea illam opinionem expoſuerit, haec verba ſcripſit: *Id quod tamen nullo modo eveniet, ſi ſanies undique membranoſo folliculo, eoque nondum diſrupto, includatur. — — Verum enim vero, etſi haec paſſim evenire nemo ignoret, aliquando tamen contingit, quod pus per ſeceſſum magis quam per urinas educatur, quamvis abſceſſus in gibba praeſertim conſtiterit.* Quae noſtra ſententia eo etiam confirmatur, quod nulla ſane ex abſceſſu hepatis ad renes et veſicam, quae huc ſaniem transferre poſſet, alia praeſto ſit via, quam iſte per vaſa cum ſanguine iter, qui vero, ubicunque ulcus verſetur, materiem ad renes deponere valet. Quum itaque ſanioſae materiae cum urinis excretio ejusdem in ſanguinem reſorptionis ſignum evadat, illius vero reſorptione ſanguis ipſe maxime inquinetur, fauſta prognoſis exinde formari ſane nequit, uti fecit ARE-

(b) Continuatio conſtitutionis epidemicae Cremonenſis. Sect. II. cap. II. pag. 59.

TAEVS (c), dum ſcriberet: *Si abſceſſus intro feratur, medico longe praeſtat natura, quae pus aut ad inteſtina aut ad veſicam derivat: harum via iſta longe tutiſſima, quae per veſicam fit. — — Atqui optimum eſt, ut per urinam morbus judicetur, et per hanc viam ſecuriſſime minimaque cum offenſa exit pus.*

§. VI.

Ciborum appetitus et ſitis qualitas.

Sana bilis omniumque liquorum gaſtricorum qualitas aeque ac debita quantitas ſicut ciborum concoctionem optime adjuvat ſuffulcitque, poſteaque ſana concoctione peracta iterum ciborum deſiderium producit: Sic vitioſa et putrida bilis illam non ſolum non adauget, ſed et ipſa inutile omnino nocivum inteſtinorum onus gaſtricos liquores reliquos depravat, quibus omnibus vitiatis atque corruptis ciborum concoctio debite procedere, et eorum deſiderium aegrotantes noſtros delectare, quomodo, quaeſo, poteſt? Nam cuncta haecce jamjam prolata in noſtrum mor-

(c) De ſign. et cauſ. morb. diuturn. L. I. c. XIII.

morbum cadere, non ſane erit qui negat. Hisce accedit, quod in hoc morbo, ex ſanioſae materiae reſorptione ſanguinis maſſa putrida facta, liquores etiam ex illa qui ſecernuntur, hincque et concoctioni inſervientes ſalivales morboſae ſint conſtitutionis, neque hanc ob cauſam muneribus ſuis debite fungi queant. Quibus omnibus ſi apponere velis, ex onere ventriculum inteſtinaque, ita ut motus periſtalticus non libere procedere poſſit, premente ciborum concoctioni magnum obſtaculum poni; porro etiam ab univerſali corporis, quae hinc et inteſtinis communicatur, debilitate illam maxime impediri: Tantum, quantum auctores (d) deſcriptum tradidere, ciborum faſtidium in noſtro morbo quod deprehendatur, an, quaeſo, mirum? Ex cunctis vero ciborum generibus nullum aeque ac carnes (e) deteſtantur hi aegri, id quod in omnibus morbis putridis praeſertim gaſtricis obſervari conſtat.

Quo

(d) LA MOTTE traité compl. de chirurg. T. I. p. 318. IOANN. BAPT. BIANCHI hiſtor. hepat. T. I. P. III. p. 372.

(e) BIANCHI loc. cit. L. RIVERIVS prax. med. L. XI. c. II. T. II. pag. 13.

Quo minor ciborum eo major potulentorum inprimis acidorum deſiderium in ulcere hepatico laborantibus animadvertitur, id quod naturae medicatricis molimen eſſe videtur; quum enim partim vehementibus febrilibus horum aegrorum commotionibus hisque conjunctis ſudoribus profuſiſſimis humores corporis disſipentur, exque illo magna copia eliminentur, partim vero putrida et alcalina in primis viis excrementa haereant: Ecquid naturae magis conſentaneum, quid illi ſalutarius, quam ut deperditi humores multo potu reſtaurentur, et acrimonia alcalina acidis exſtinguatur!

§. VII.

Debilitas ingens.

Ex puris in hepate formatione haud longo poſt tempore ſummam aegrotantes noſtros vexare totius corporis debilitatem, communis obſervatio eſt (f); quae eos,

(f) Cfr. e. g. IOANN. SCHENCKII obſervat. medic. L. III. obſ. XIX. p. m. 755. et H. BOERHAAVII aphor. de cogn. et cur. morb. §. 935.

eos, licet caetera ſymptomata cuncta iis ambulandi veniam concederent, plerumque lecto affixos tenet. Innumeris enim obſervationibus confirmatum conſtat, oriri quandoque ſubitam atque ingentem, ubi corrupti quidquam atque putridi circa praecordia haeret, totius corporis debilitatem; id quod in febribus bilioſis obſervandi quotidiana ſeſe nobis offert occaſio, in quibus tanta quandoque aegros invadit virium proſtratio, ut remedia roborantia illis praebendi non raro incurrat medicus periculum. Sed hic ſane caſus incidit, quo vomitorio ſubinde unico vires ita efferuntur, ut aegri imbecilles debiles et quaſi moribundi pridie lectulo affixi poſt ſufficientem emetici operationem ex ſomno tranquillo hanc plerumque ſequente ſuo medicique gaudio cubitu ſurgant, muniis ſuis fungantur, nec raro domum relinquere queant.

§. VIII.

Quae ulcere clauſo in reſpirationis organis obſerventur.

Antea paragrapho hujus ſcriptiunculae ſecundo, quo de dolore et anxietate horum

rum aegrotantium agebatur, reſpirandi difficultate non raro illos laborare jamjam expoſui: hic loci ad reſpirationis vitia pertinentia quaedam addenda. Dyſpnoea illa licet in hoc morbo ſemper ex iisdem cauſis, quas ſupra jam propoſui, oriatur; attamen tam vehemens quandoque fieri ſolet, ut in verum aſthma degeneret (g), quod hisce aegris aeque intolerabilem ac pleumonicis anxietatem procreare conſuevit. Eſt vero praeterea ſingularis ſane affecti hepatis pulmonumque affectorum ſymptomatum cognatio. Sic ABRAMVS VERNER (h) in obſervationibus ſuis narravit: *Se quendam ex hepatis tumore laborare exiſtimaſſe: Cumque dolor quotidie augeretur, et duraret longius, hepar ipſum in pus converſum arbitratum eſſe; poſt cadaveris autem apertionem inveniſſe hepar pene illaeſum, totam vero thoracis cavitatem pure pleniſſimam, ita ut de pulmonibus vix exigua portiuncula conſpiceretur.* Quandoque vero contingit, ut hepar ipſum ulcus foveat, attamenque adſint tot affectorum pul-

(g) Hiſtor. morb. Vratiſlav. pag. 189.

(h) Vid. I. B. BIANCHI hiſt. hepat. T. I. P. III. p. 455. cfr. P. II. Cap. V. §. VII. p. 149.

pulmonum (licet hi revera ſani evadant) ſigna, inprimis vero tam vehemens tuſſis (i), ut non raro, praeſertim vero ſi hepatis abſceſſus ſigna, id quod ſubinde fieri conſuevit, occulta ſint atque abſtruſa, in pulmonibus ulcus praeſens putet medicus, medendique rationem huic conſentaneam inſtituat. Praeterea vero in manifeſta phthiſi hepatica frequens ſane ſymptoma tuſſis eſt, quae licet non adeo frequens ſit, maxime tamen moleſta evadit, et ex irritatione nervorum per conſenſum producitur. Quae tuſſis etiam quandoque ſicca eſt, ſubinde vero cum materiae cujusdam catarrhalis anacatharſi conjuncta exiſtit (k). Frequens etiam in hoc morbo ſingultus obſervatur, cujus origo eſt ex affectis per conſenſum nervis dia-

(i) ARETAEVS loc. cit. L. I. c. XIII. p. m. 41. BIANCHI loc. cit. T. I P. III. p. 372. et DAV. MACBRIDE methodical Introduction to the Theory and Practice of Phyſic. Lond. 1772. pag. 400. qui ſic ſcripſit: *A Cough very frequently accompanies the foregoing Signs, and may ſometimes make the Diſeaſe paſs for a Phthiſis, which will then be termed hepatica.*

(k) I. B. MORGAGNI de ſedibus et cauſis morborum. XXXVI. 5.

diaphragmatis, quod cum hepate connectitur.

§. IX.

Conſenſus hepar inter et lienem.

Innumerae, quas in BONETO multisque aliis obſervatorum ſcriptis reperimus, de hoc morbo hiſtoriae, hepate affecto saepiſſime lienem ſimul affici et vice verſa, teſtantur; ita ut hepate abſceſſu laborante non raro etiam in liene puris collectio inveniatur. Quod ipſum phaenomenon ex anatomicis principiis explicandum eſſe, quisque facile perſpiciet. Cel. MORGAGNI (l) idem obſervavit, et quoniam in divino opere ejusdem cauſas optime ſane expoſuit, ejus verba hic apponere liceat: *Cur lien ſimul et hepar tumida reperta ſint, Te quaeſiturum non exiſtimo, probe memorem, unde ſanguinem utrumque viſcus accipiat. Cum enim arterioſum quidem ab eadem coeliaca arteria habeant: utrolibet primum tumente, eoque minus accipiente, plus in alterum influet. Sanguinem autem venoſum quum jecur recipiat in parte ex ſplene, eum-*

(l) Loc. citat. XXXVI. 26.

eumque, ut cenſemus, ſecretioni bilis profuturum: utique ſi jecur tumeat, plus ſanguinis in ſplene reſtitabit; ſi vero ſplen, ineptior ad tranſitum per jecoris anguſtias ſanguis ab ejusmodi mittetur ſplene, minusque idoneus ad optimae bilis ſecretionem, ut ſi craſſior ac viſcidior ſecernatur, ex parte in hepate remoretur, ejusque et ipſa adaugeat molem. Cel. MORGAGNI licet hic loci ſolummodo de utriusque viſceris tumore ſcripſerit, ex ejus verbis tamen propria illius conſenſus cauſa clariſſime patet; et quum ejusmodi tumores non raro ſint inflammationum et abſceſſuum cauſae: Unde quoque utriusque viſceris ſimultanea abſceſſibus affectio proveniat, quisque facile perſpicier.

§. X.

Narium haemorrhagiae.

Jecinoris inflammatione laborantibus narium haemorrhagias quandoque contingere, imo iſtam hisce ſubinde judicari, frequentia de hoc morbo ſcriptorum teſtimonia affirmant. Idem hoc ſymptoma in hominibus atrabilariis, quibus obſtructiones in hepate ſunt, non raro obſervamus,

mus, cujusmodi exemplum mihi ipſi nuper videre licuit, ubi ex eodem hoc fonte tam vehemens et copioſa narium haemorrhagia oboriebatur, ut leucophlegmatiae vel hydropis non leve periculum minaretur. Interdum vero hoc ipſum ſymptoma et in ulcere hepatico laborantibus occaſio nobis praebetur. Quae narium haemorrhagiae in omnibus ac ſingulis hisce aegris ex uno eodemque fonte oriri conſueverunt, ex ſanguinis nempe obſtructionibus impedito per vaſa abdominalia tranſcurſu, quo et ejusdem liber per ſuperiorum partium vaſa circuitus removetur, humores ibi accumulentur, exque hac accumulatione quae minimam reſiſtentiam patiuntur vaſa rumpantur neceſſe eſt. Praeterea vero, id quod multi animadverterunt obſervatores, hasce haemorrhagias, quarum in hepatis vitiis latet fons, ex dextra plerumque nare fieri, notandum (m).

§. XI.

(m) Criſes per haemorrhagiam narium, hepate affecto, e nare ſiniſtra, incertas et infideles eſſe, annotavit PR. ALPINVS de praeſagienda vita et morte aegrotantium, L. VI. c. X. p. m. 406.

§. XI.

Deliria.

Ex eadem cauſa, ex qua narium haemorrhagiae, in noſtris aegris ſubinde quoque deliria naſcuntur, de quibus haec ſcripſit ARETAEVS (n): *Prudentes vero quum ſint in omnibus, in aliquo tamen ad tempus oblato repente delirant; ad ſeque protinus revertuntur.* Sed illi cauſae alia accedit, ſumma nempe in hisce aegris debilitas, quae frequentiſſimus eſt in diu aegrotantibus praeſertim vero febribus putridis, hecticis et phthiſicis laborantibus deliriorum, nunquam ferocium, fons. Annon deliriis et hypochondriacae in hisce aegris non raro obſervabiles imaginationes annumerandae?

§. XII.

Aegrotantium decubitus.

Aegrorum noſtrorum decubitus eadem fere quae pleumonicorum ratio. In ſiniſtro latere ut decumbant, omnino impoſſibile quandoque videtur; morboſum enim

(n) Loc. ſaep. citat.

enim hepar, plerumque et tumidum, in ventriculum et ex adverſo jacentem lienem, qui, uti ex §. IX. patet, quoque morboſus evadit, ita premit, ut non ſolum in hisce partibus dolor naſcatur, ſed et iſta in vaſa ſanguifera preſſione anxietas adaugeatur. In dextro vero latere jacentes non raro quoque ſummas moleſtias ſentiunt; abſceſſu enim in externa ſeu gibba jecinoris ſuperficie verſante, externa preſſione dolor in abſceſſus loco exaſperetur neceſſe eſt. Quae cuncta aegrum ut in dorſo decumbat cogunt, unde non raro ſicut in pleumonicis ſuperficialis in regione oſſis ſacri exulceratio (*das Durchliegen*) oboriri ſolet; quae in hoc morbo eo magis metuenda exiſtit, quum phthoë hepatica cel. KLEINIO (o) teſte non aeque celeriter plerumque ac pulmonalis ad finem properet.

§. XIII.

Habitus externus.

Hujus morbi atrocitati atque periculo cum illo conjuncto externus quoque aegri

(o) Interpr. clinic. p. 129.

gri eodem laborantis habitus ſpectanti ſimilis evadit. Non enim ſumma tantum corripit aegrum emaciatio atque contabeſcentia, ita ut, PETRO FORESTO (p) teſte, pellis rugoſa cum oſſibus reſtare videatur; quam ſi hic pluribus deſcribere conarer, ſupervacanei ſane quidquam, in diſſertatione propria de pleumonide jamjam traditum, ibique ut univerſale omnium phthiſium ſymptoma deſcriptum actu-rus eſſem; ſed et alia huic morbo propria in hocce paragrapho conſideranda veniunt. Communis nempe hosce aegrotantes colore citrino et icterico laborare obſervatio eſt; impedito enim libero bilis cyſticae exitu haec ipſa in ſanguinem retropellitur et in univerſo diffunditur corpore; qui exitus hepatis pondere in ductum illius egeſtioni dicatum premente impediatur neceſſe eſt. Iſte vero color non in facie tantum ſed et in univerſo corpore apparet, imo et minima vaſa penetrat, ita ut album quoque oculorum flavum videatur. Citrinum vero iſtum colorem quamcunque hepatis vomicam concomitari (licet plerumque fiat) ne credas, ejus enim

(p) Obſervat. medicin. L. XIX. obſ. X.

enim ſitus non talis ſemper eſt, ut illum ductum comprimere queat; praeſertim autem in externa ſeu convexa hepatis ſuperficie habitante abſceſſu, ita ut verſus integumenta communia ſpectet, plerumque non obſervatur, cujusmodi caſum cel. LA MOTTE (q) tradidit, quo ab externa contuſione abſceſſus ortus fuerat. Ubi vero color non citrinus, ibi plumbeus eſſe atque lividus conſuevit (r) Quicunque vero color adſit, apparet ſimul genarum rubor (s), qui exacerbationis febrilis tempore, vel et poſt ſumtum cibum atque potum, licet is ſpirituoſus non ſit, vehementior evadit. Praeterea etiam ex ſanguinis acrimonia, cujus origo explicatu non ſane difficilis, hic atque illic in cute puſtulae pravae, et maculae floridae (t) ex humorum in minimis vaſis ob univerſi corporis hincque et cor-

(q) Traité compl. de chir. T. I. p. 327.

(r) FR. HOFFMANN Med. Rat. Syſt. T. IV. P. I. S. II. c. XIII. p. 184. obſ. VIII.

(s) Hiſtor. morb. Vratiſlav. p. 189. I. SCHENCK obſerv. med. L. III. obſ. 19. p. m. 755.

(t) LAZ. RIVERII prax. med. L. XI. c. II. T. II. p. 13. Hiſtor. morb. Vratiſl. p. 189.

cordis arteriarumque ſanguinem contentum per iſta vaſa propellendi vim ſumme debilitatam haeſitatione enaſcuntur. Deinde etiam in gibba jecinoris parte verſante abſceſſu externe in hypochondrio dextro tumorem cum contenti humoris fluctuatione obſervari notandum eſt, in quo tactu dolores adaugeri ſolent. Qui tumor externe apparens cum quodam veſiculae fellis a bile in ea contenta et incarcerata tumore ſimilitudinis ſane multum habere conſuevit. Uterque enim morbus ex inflammatione originem ducere poteſt, et alteruter in ſuo progreſſu multa cum altero communia habet; in utroque univerſum corpus flavum colorem induit, inflammatione finita febris minuitur, horrores vagi naſcuntur, tumor externe in eodem hypochondrio obſervatur etc. Summi inde momenti eſt, ut medicus, cui ejusmodi uſu veniunt aegri, iſtius ſimilitudinis memor ſit, ſignaque illi in promptu ſint, quibus eorum diſtinguere queat morbos. Cel. inter Gallos chirurgus IOANNES LVDOVICVS PETIT qui hisce ſignis attentum animum applicavit primus ſane fuiſſe videtur, hinc et cel. SAUVAGES et SAGAR illum veſiculae fel-

 leae

leae tumorem dolore junctum ex ejus nomine *Hepatalgiam Petitianam* appellarunt. Signa iſta ex propria experientia illi nota nobiscum communicavit (u), quae et hic proferre liceat. In quatuor ordines iſta diſtribuit, *primo* dolorum, *ſecundo* horrorum, *tertio* tumoris, et *quarto* fluctuationis differentias expoſuit.

I. Dolores in eo differunt quod

a) ſi abſceſſus formetur, dolores in loco affecto vehementiores reddantur, minuantur contra, ſi inflammatio reſolvatur, et veſiculae fellis tumor oboriatur;

b) quod puris formationis tempore dolor ſit pulſatilis, non vero ab intumeſcentia veſiculae fellis reſolutione peracta;

c) quod ab inflammationis reſolutione multo prius minuantur quam ab ejus in ſuppurationem tranſitu dolores;

d) quod dolorum ex reſolutione imminutio aegri animum contentum red-

(u) In libro cui titulus: Memoires de l'academie royale de chirurg. de Paris. T. I. p. 160. ſeqq.

reddat atque hilarem, ex ſuppurationis contra ortu aegri animus abjectus fiat atque fractus.

II. Horrores vagi

a) qui abſceſſus formationem concomitantur, multo ſunt longioris quam qui a bilis retentione durationis;

b) In ſuppuratis horrorum tempore pulſus parvus eſt, eodemque quo illi remittunt gradu attollitur;

c) horrores cum puris origine calor poſteaque cutis mador ſequi conſuevit, ſecus quos bilis retentio produxit, ex his enim cutis omnino ſicca evadit.

Praeterea clar. PETIT illos a bilis in veſicula fellis retentione non veros horrores ſed fugitivam tantum irritationem cenſet, quam diſperſa in univerſo corpore bilis in membranas exſerit aliasque partes nervoſas.

III. Tumoris externe apparentis qualitas:

a) Tumor dextri hypochondrii ex abſceſſu hepatis non circumſcriptus eſt atque diſtinctus, ſed integumentis

communibus in hoc morbo plerumque oedematoſis defoſſus quaſi videtur; a bile contra retenta veſiculae tumor maxime diſtinctus eſt manifeſtus atque circumſcriptus, et rariſſime integumenta cum illo oedematoſa apparent;

b) Veſiculae fellis tumor ſemper infra coſtas ſpurias ſedem fixam habet; abſceſſus vero tumori nullus certus atque ſtatutus ſedis locus eſt, ſed ubivis naſci in regione epigaſtrica (w) poteſt.

IV. Signa a fluctuatione deſumta:

a) Bilis in veſicula retentae fluctuatio ſta-

(w) Quae verba PETITIANA limitanda videntur; regio enim epigaſtrica quum hypochondrium aeque dextrum ac ſiniſtrum comprehendat, hepar vero in hypochondrio dextro ſedem habeat, rarique ſint illi caſus, quibus jecur tam magnam hypochondrii ſiniſtri partem occupaverit, ut ejus tumor externe percipi potuiſſet: Univerſam tantum hypochondrii dextri regionem hic nominaſſe ut eum locum, quo abſceſſus hepatis tumor externe admotis digitis perſentiri poteſt, ſatius omnino fuiſſe mihi ſaltem videtur.

ſtatim poſt inflammationem finitam ſentiri poteſt: puris contra in abſceſſu concluſi poſt longum tantum temporis ex inflammatione intervallum oboriri ſolet;

b) Abſceſſus fluctuatio diu antequam ſentiri poſſit, exſpectatur: veſiculae fellis contra multo prius antequam exſpectetur, percipi ſolet;

c) Bilioſi tumoris fluctuatio a primo ſui originis momento non dubia eſt nec aequivoca: illa vero abſceſſus ejusmodi eſt, ut quicunque eam exploret, diverſam ejus rationem inveniat, quidam omnino an revera adſit fluctuatio dubitent;

d) Abſceſſus fluctuatio initio in centro tantum percipitur, ejus vero eodem augetur peripheria quo puris quantitas accreſcit gradu. Alia eſt bilis in veſicula retentae fluctuationis ratio, quae a primo ſtatim ex tumoris origine momento in univerſa hujus peripheria aeque ac in centro percipitur;

e) Abſceſſu praeſente circumcirca locum ſuppuratum durities eſt atque tumor, uterque vero eodem quo accre-

creſcit ſuppuratio gradu decreſcere conſuevit; ſi vero fellis veſicula a bile incarcerata intumeſcit, ſimulac inflammatio reſoluta exiſtit, et nulla plerumque durities neque tumor in ejus peripheria perſentiri poteſt.

En! B. L. ſigna quibus utrumque hunc morbum alterum alteri ſimillimum diſtinguere poſſumus certiſſima. Cel. PETIT ſaepiſſime iis uſus multa nobis protulit exempla, quae eorum veritatis atque utilitatis indubitata praebent teſtimonia (x).

B. SECVNDI STADII SYMPTOMATA.

§. XIV.

De hisce ſymptomatibus in genere.

Quae hucusque in medium protuli, deſcripſi, quorumque varietates expoſui, licet ſub primi hujus morbi ſtadii ſymptomatum titulo enumeraverim: Quaedam tamen ex iis ſunt, ut febris, variae dolo-

ris

(x) Legendus quoque de hac materie v. SWIETEN loc. ſaep. cit. T. III. p. 107 et 108.

ris ſpecies, appetitus ciborum defectus etc., quae et in ſecundo ſtadio obſervandi innumeris vicibus occaſio nobis praebetur; quoniam vero antequam in ſecundum tranſeat ſtadium morbus urgere jam ſoleant, in primi ſymptomatum numerum quin poſuerim ibique explicaverim non ſane potui.

In ſecundum ſtadium tranſire huncce morbum dico, quando pus hucusque in hepate et quidem plerumque in peculiari ſacculo contentum ullo modo ab jecinore removetur, hucdumque ſibi poſitos cancellos transgreditur. Immortal. BOERHAAVIVS (y) varios hepatis abſceſſus exitus, licet ſecundi ſtadii denominationem haud uſurpaverit, exponens, hic minus ac alias conſuevit accuratus fuiſſe mihi ſaltem videtur. *Primo* enim: *Tale apoſtema*, ait, *vel* 1) *totum depaſcitur jecur*; ... *vel* 4) *per venam cavam in cruorem* ſcil. rumpitur. Interna hepatis ſubſtantia exeſa, ita ut ſola ejus membrana integra reſtet: Ejus quoque vaſa ſanguifera a putrido ichore ita corroſa eſſe ut purulenta materies

(y) Aphor. de cogn. et cur. morb. §. 936.

ries non poſſit quin in ſanguinis maſſam transgrediatur, mihi ſaltem videtur, huicque ſententiae calculos ſuos adjecturos omnes mecum eſſe credo. Hinc, licet aeger hoc morbo defungi absque vomicae ruptura queat (z), jecinoris tamen a pure depaſtio in variorum abſceſſus exituum enumerationem non ſane pertinet. *Secundo loco* citatus BOERHAAVII aphoriſmus ob omiſſam puris in cavum thoracis transgreſſionis mentionem mancus videtur, quae tamen ita gravis et memorabilis, ut omitti ſane non queat.

Ini-

(z) Pure neque in cavum abdominis, neque thoracis, neque in inteſtina erupto, neque ad externa quidquam ejus provento, interna hepatis ſubſtantia ſola depaſta aegrum mori poſſe ſaepiſſimeque defungi, quotidiana experientia extra omnes dubitationis limites poſitum; moritur vero partim ob hepatis ſumme neceſſarias functiones jam ceſſantes, partim ob reſorpta ſanie in cruore generatam putredinem, exque hac ſumme diſſoluta et depravata ſanguinis maſſa caeteras quoque functiones maxime debilitatas ſaepiſſime omnino cohibitas. In quo itaque caſu quendam tamen abſceſſus exitum in ſanguinis nempe maſſam puris transgreſſionem eveniſſe certum.

Initium ſecundi ſtadii, ſi huncce terminum acquirat morbus, quintuplici modo eſſe poteſt: Vel enim

I) partim ob corroſivam ſuam qualitatem partim ob magnam quantitatem per externam hepatis membranam verſus cavitatem abdominis exitum ſibi parat inque hanc effunditur purulenta materies; Vel

II) per ductus bilis exitui deſtinatos ad inteſtina ruit; Vel

III) abſceſſu ſuperiori hepatis parti inſidente et verſus diaphragma ſpectante hoc ipſum ſaepius perforat ſanies et in cavitatem thoracis transmigrat; Vel

IV) per vaſa ſanguifera ab ipſo exeſa in ſanguinis maſſam tranſit pus; Vel

V) peritonaeo accreſcit abſceſſus, perque hoc vel ipſe ſibi exitum parat, vel Chirurgi manus ad hancce operationem invitare conſuevit.

En varias quas generatum in hepate pus incedere poteſt et ſolet vias! unam vero ex iis tantum quaqua vice eligere illud, id quod falſo quidam putaverunt, ne credas: quandoque enim, antequam, ut hoc exem-

exemplo utar, in abdominis cavum effundatur, ſanguifera vaſa corrodit ichor, ejúsque pars in illa transmigrat; ſubinde in thoracis cavo deprehenditur ſanies, ſimulque in inteſtinis obſervatur etc. Tractationis vero ordo ut horum exituum quicunque in ſpecie contempletur et exponatur requirit, id quod jam perficiendi animus eſt.

§. XV.

Puris in cavum abdominis effuſio.

In abdominis cavitatem purulenta ex hepatis abſceſſu materies effundi ſolet *vel* ſi ille inferiori jecinoris parti inſidet, dum partes ſibi proximas illoque inferiores corrodit ſanies atque perforat; *vel* ſi puris collectio in alio quopiam praeſertim ſuperficiei hepatis gibbae loco praeſto eſt, in quo autem caſu vomicae ruptura raro fit ex ſola ichoris corroſione, ſed et plerumque ex ſimul praeſente magna ejus quantitate, omnino ex ſubitaneo validoque aegri motu atque niſu, aut vehemente in locum affectum facta preſſione; *vel* tertio effundi in cavum abdominis poteſt

ſani-

ſanies, ſi internam jecinoris ſubſtantiam corripuit ſuppuratio, eamque fere totam exeſit eousque ut materies ſit externae hepar cingenti membranae proxima, quo fit ut et hanc ſaepiſſime perforet, ſicque tandem in illam cavitatem erumpat. Ante diſruptionem abſceſſus aegrum plerumque vehementior febris exacerbatio corripit, dolores in loco affecto adaugentur, et ſubito poſtea ſtrepitum plerumque in vomicae loco deprehendit aeger, nuncque multa novaque incidunt ſymptomata Non raro enim ſtatim ex diſruptione, ſi abſceſſus adeo tantum accrevit, ut magnus appellari queat, animi deliquia obſervantur diuturna adeoque fortia et periculoſa ut ſyncopum nomine vocari mereantur (a), omnino MORGAGNI (b) iſtas leipothymias non raro mortem pediſſequam habuiſſe teſtatur. Quorum deliquiorum origo explicatu non ſane difficilis exiſtit: vaſa enim hepatica antea a vomica compreſſa nunc pure elapſo exonerantur,

(a) V. SWIETEN l. c. T. III. pag. 112. I. B. BIANCHI loc. cit. T. I. P. III. p. 361. et 372. IOD. LOMMII obſerv. med. p. 188.

(b) epiſt. XXXVI. no. 6.

tur, et ſanguis majori vi in illa irruit, nec raro etiam ipſa diſrumpuntur, quum plerumque a ſaniei contactu fere ſemi exeſa ſint, tumque et magna ſanguinis quantitas in ipſum abdominis cavum elabitur, quo fit, ut cerebri et reliquarum partium ſuperiorum vaſa nimis ſubitanea ratione evacuentur. Quae haemorrhagia niſi ut aegri mortem procrearet ſatis vehemens fuerit, hicque ipſe poſt leipothymiam ad protrahendam ad tempus vitam vires recuperaverit, inferioris ventris tumor hydropicus in regione circa pubem et ilia obſervatur; ſequuntur vehementia ex irritatione nervorum inteſtinalium ab acri ſanie tormina, et ex eodem ſtimulo alia naſcuntur ſymptomata ſpaſtica, urinae ſuppreſſio etc. (c). Nunc febris phthiſica et corporis contabeſcentia in ſummum gradum adaugentur, anxietates fere intolerabiles urgent, et dolores in abdomine quae omnes a putrida et acerrima ſanie contrectatas partes corripit inflammatione adeo incrementum capiunt, ut aeger tandem ne minimum quidem attactum perpeti

ti

(c) VALCARENGHI Contin. Conſtitut. epidem. Cremon. Sect. II. cap. II. pag. 59.

ti queat, nec paululum in lecto moveri patiatur; quae inflammatio poſt paucos dies ſuperveniente plerumque gangraena vitae aegri finem imponit. Antea vero quandoque animi deliquia incidunt, et tandem cum pedum oedematoſo tumore, parvis et lenibus deliriis, colliquativis et profuſiſſimis ſudoribus, urina ſanie ſaepe commixta, non raro et diarrhoea colliquativa, a puris tam quantitate quam et ſumma putredine tam elatus abdominis tumor naſcitur, ut verae tympanitidis nomen illi conveniat (d). Ex quibus omnibus quam periculoſus hic exitus evadat facile patere videtur; id quod et BOERHAAVII nec non DAV. MACBRIDE (e) teſtimonia confirmant, qui illum nulla arte ſanabilem profitentur.

§. XVI.

Puris in inteſtina transgreſſio.

Quae obvenire praecipue conſuevit, ſi locus abſceſſus eſt magis in parte hepatis con-

(d) v. SWIETEN loc. cit.

(e) Introduct. to the theory and pract. of phyſ. p. 447.

concava, dum ſanies per ductum in ſtatu ſano bilis in inteſtinum duodenum exitui deſtinatum, hujus finibus ab ipſa exeſis, libere permeare poteſt. Sed duplex praeter hanc praeſto eſt via, per quam licet multo rarius ad inteſtina ex hepate pervenire ſolet pus: 1) Abſceſſu ita ſito, ut ejus ſuperficies inteſtinum quoddam contrectet, quo in caſu huic accreſcere, poſtea vero ſuam ipſius aeque membranam ac inteſtini tunicas arrodere et perforare, contentaque in tubum inteſtinalem effundere conſuevit (f); 2) Eadem contingere queunt, ſi abſceſſus ſuperficies tunicam ventriculi externam attingit. Certiſſimis gaudemus ex quibus hunc exitum prognoſcere et cognoſcere valemus ſignis. Initio quandoque aegros ſopor corripit, creberrimi horrores invadunt, tumque vehementiſſima ventriculi et inteſtinorum ſymptomata urgent, dolores colici, non raro nauſea et conatus vomendi, poſteaque ipſa materiae ſanioſae amurcoſae putridae ſubindeque ſanguine permix-

(f) Ejusmodi caſum deſcripſit cel. PETIT in libro cui titulus: *Memoires de l'academ. royale de chirurg. de Paris.* T. I. p. 172. vid. et DAV. MACBRIDE loc. cit. p. 448.

mixtae per os ejectio. Una cum hoc vomitu, vel absque illo murmuratio in inteſtinis contingit, poſteaque alvi excretiones ſanioſae et foetentes erumpunt (g), quibus non raro et ſanguis et fruſtula hepatis evacuantur (h). Cum quibus omnibus vehementiores febris phthiſicae exacerbationes, profuſiſſimi ſudores, debilitas ſumma et omnium virium jactura, anxietates inexplicabiles, et indies increſcens emaciatio animadvertuntur (i).

Et

(g) Quae alvi excretiones ex praecipuis licet hujus exitus ſignis ſint, ſi caetera ſymptomata in eo conveniant: Solae tamen nil probant, nam ſanguine etiam huc deferri poteſt ſanies, id quod inter multos alios teſtatur b. v. SWIETEN T. III. p. 111: *Ultimo tandem*, ajens, *hepate conſumto, putrida amurcoſa ſanies per inteſtina ruit, vel et per reſorptam hanc putrilaginem totus ſanguis diſſolutus et putrefactus per vaſa meſaraica in inteſtina exit.*

(h) LAZ. RIVERIVS prax. medic. c. XI. T. II p. 13. BIANCHI hiſt. hep. T. I. P. III. p. 371. I. SCHENCK obſerv. medic. L. III. obſ. XLVII. p. m. 768.

(i) Cfr. de hiſce ſignis BIANCHI loc cit. H. BOERHAAVE de cogn. et cur. morb. aph. 940. et V. SWIETEN Comment. in illum.

Et hunc exitum cum ſummo periculo conjunctum eſſe, quicunque facile intelliget, et BOERHAAVIVS haſce alvi excretiones brevi lethales eſſe profeſſus eſt. Sed in prognoſi formanda ad evacuatae materiae qualitatem et ad reliquas aegrorum vires reſpiciendum eſſe conſtat; deinde etiam in eo multum conſiſtit, an illis excretionibus omnis ab jecinore remota ſit purulenta materies, utrum remanſerit quaedam, quo in caſu eadem quae in pulmonum vomica contingere ſolent, quae enim reſtat materies proximas partes arrodit, partimque haſce ita deſtruit, ut muneribus ſuis impoſterum non fungi queat hepar, partim vero ſanguinis maſſam

LOMMII obſerv. med. p. 189. PLATNERI artis medendi §. 224. p. 108. PAVL. VALCARENGHI Cont. Conſtit. epid. Cremon. S. II. C. II. §. 56. p. 59. §. 57. p. 61. ETTMÜLLERI oper. med. T. II. P. I. p. m. 576. SCHENCKII obſerv. L. III. obſ. XXIII. p. m. 758. et HIPPOCRATIS praen. coac. no. 448. edit. V. D. LINDEN T. I. p. 566. qui haec ſcripſit: *Hepar dolentes, os ventriculi dolentes, ſoporoſi, rigorem habentes et alvum turbatam, tenues, cibum averſantes, multum exſudantes, purulenta per alvum egerunt.*

ſam corrumpit, corpus maxime debilitat, ſicque mortem accelerat. Interdum autem contingit, ut ſubito rumpatur abſceſſus in inteſtina, materies per alvum excernatur omnis, et aeger priſtinam valetudinem recuperet (k).

§. XVII.

Puris in thoracis cavum transmigratio.

Ad tertium hepatis abſceſſus exitum, materiei nempe purulentae in thoracis cavitatem tranſitum pervenio; quem in eo tantum caſu contingere notandum eſt, quo ſupremae hepatis parti inſidet abſcesſus, ita ut ſumma hujus ſuperficies ſeptum contrectet transverſum. Tum vero in vomicae obtenſa membrana praeſente calore atque inflammatione eodem loco et diaphragmati quaedam phlegmone communicatur, qua fit ut ambo coaleſcant, poſteaque et ambo a ſanie perforentur, vel ſaltim ſemi exedantur, ita ut de-

(k) Cujusmodi hiſtor. tradidit cel. JAMES JAMIESON in Medic. Eſſais and Obſervations by a Society of Edinburgh, T. IV. p. 425. no. XXIX. vid. et MACBRIDE loc. cit. p. 448.

in minuto quodam niſu, ſternutatione, tuſſi etc. facile rumpatur abſceſſus, tumque in thoracis cavum effundatur (l). Quandoque vero cum illo diaphragmatis hepati jam annexo loco pleura etiam et pulmonis pars vel jam coalitae ſunt, vel nunc coaleſcunt (m); in quo caſu, ſicuti quidam teſtantur obſervatores (n), in hepatis abſceſſu praeſens ichor hujus ipſius membranam, diaphragma et pleuram perforans pulmones ipſos erodit, perque hos ſibi viam parat.

Cujus exitus ſigna haud ſemper aeque certa ac praecedentium evadunt. Dolores in hepate perſeverare conſueverunt, dum omnis ſanioſa materies in thoracis cavitatem tranſferri raro queat, ſed plerumque quidquam illius in abſceſſus cavo remaneat, quod acrimonia ſua nervos irritat, et proximas partes corrodit, hinc-

(l) Hujusmodi caſus eſt, quem tradidit MORGAGNI epiſt. XXXVI. no. 4.

(m) ISBR. DE DIEMERBROECK anat. corp. hum. L. I. c. XIII. p. m. 72.

(n) Cfr. STALPARTII VAN DER WIEL obſervat. rarior. Cent. I. obſ. XLVI. p. m. 202. et ſchol. p. 203.

hincque dolores vehementiſſimos gignit. Perſaepe etiam in thoracis loco hepati proximo pungentem, urentem et gravativum dolorem ſentit aeger, omnino quandoque etiam fluctuatio ibidem obſervari poteſt. Iſta vero materies in thoracis cavitate collecta ex brevi utplurimum temporis intervallo pulmones quoque acredine ſua afficit, inflammationem, ſuppurationem et eorum conſumtionem progignit, ſicque inſimul et phthoën pulmonalem procreare valet; tumque ſputa purulenta tuſſi hincque ex pulmonibus ejecta ſaepiſſime in hoc morbo ab obſervatoribus deprehenſa animadvertuntur. Sed variis quoque aliis modis haec ſputa purulenta contingere in phthoë hepatica queunt: 1) Si ſanies in thoracis cavitatem effuſa, antequam pulmones ipſos arrodat, a venis reſorbetur, inque bronchiis deponitur; 2) Si, uti ſupra jamjam protulimus, abſceſſus membrana, diaphragma, pleura et pulmo coaliti ſunt, ab ichore acri perforantur, ſicque per immediatum tramitem in pulmonem et bronchiorum ramos aſcendit purulenta materies (o); 3) Sputa ex pulmo-

(o) P. VALCARENGHI loc. cit. §. 56. p. 60.

monibus in phthoë hepatica purulenta absque verſus diaphragma abſceſſus ſitu contingere queunt, ſi nempe ex hepate in ſanguinis maſſam reſorbeatur pus, ſicque per communem humorum circuitum ad pulmones transferatur, ejusdem pars ibi deponatur, tuſſique ejiciatur (p), quo in caſu a depoſita in pulmonibus materie hi ipſi facile arrodi poſſunt; 4) Tandem iſta ſputa obſervandi occaſio praebetur, ſi antea praeſentia pulmonum vitia, tubercula praeprimis, ex mala humorum diatheſi jam inflammantur, poſteaque ſuppurantur, vomicasque clauſas progignunt, quae ſerius ocyus rumpuntur, nec raro phthoë hepaticâ aegri morte jamjam praedeſtinata et pleumonidem inducunt, hacque illius anxietates adaugent, ejusque inſtans letum certo certius reddunt (q).

Sed

(p) Cfr. I. SCHENCK obſerv. med. L. III. obſ. XXV. et ETTMÜLLER oper. med. T. II. P. I. p. 576.

(q) Reperiendi autem, certiſſimisque ſignis viam demonſtrandi, qua in pulmones pervenerit purulenta materies, quam difficile ſit, docet

Sed nunc in exponenda illius exitus ſymptomatologia pergendum. In hoc rerum ſtatu ſupra expoſito vitae aegri vires ſummopere diminutas et debilitatas quae reſtant haud diu conſiſtere amplius poſſe, quiſque facile perſpiciet; ſumma enim in reſpirando difficultas invadit, anxietates incredibiles aegrum cruciant, febris phthiſica, corporis emaciatio et extenuatio indies increſcunt, quae vero ſymptomata magno ſuo plerumque gaudio morte mox commutari ſolent. Quandoque vero diutius perſeverat morbus, dum hepatis ulcus circumcirca rodendo dilatatur, et praeter illa phthoës hepaticae pleumonidis quoque cuncta perſaepe ſymptomata urgent, miſerrimeque afficitur aeger. Perquam raro autem tranſire in ſanitatem in hoc ſtatu morbum obſervatur, ſed profuſiſſimis colliquativis ſudoribus, diarrhoea colliquativa, deliriis parvis, pedum oedemate perſaepe et in ultima fine univerſi corporis hydrope tandemque morte terminari conſuevit.

§. XVIII.

docet inter multas alias hiſtoria quam tradidit FRANC. RONCALLI in hiſtor. morb. pag. 244.

§. XVIII.

Puris in ſanguinem tranſitus.

Ita frequens eſt puris ex hepatis absceſſu in ſanguinea vaſa transmigratio, ut hoc ipſum rariſſime ulla via absque ejus ſimultanea in ſanguinem reſorptione evacuetur. Quem vero tranſitum duplici ratione fieri poſſe conſtat: *vel* enim a venis bibulis ſed integris reſorbetur purulenta materies; *vel* vaſis perforatis atque exeſis ſanguini admiſcetur, id quod non ita recente ulcere hepatico in noſtrum morbum cadere ſolet. Quantum corpori hic ex abſceſſu puris exitus detrimenti injungat, inferatque neceſſe ſit, intelligitur facile, ſi rariſſima boni in hepate puris generatio perpendatur. Tranſponitur autem reſorpta ſanies *vel* per metaſtaſin ad alium locum, *vel* cordi data ſecundum cognitam circuli humorum normam ſubigitur, et ſanguini commiſcetur. Nocere vero triplici ratione poteſt receptum in ſanguinea vaſa pus: 1) Volumine ſuo; 2) Gravitate ſpecifica et 3) Acredine ſua. Puris quum multo craſſior ſit quam ſanguinis conſiſtentia, facile patet, illo in ſangui-

gui-

guinea vaſa recepto, partimque vi vaſorum contractili partim ſanguine a tergo irruente in minora vaſa provoluto haec inde obſtrui, inſequentesque ſanguinis globuli in lateralia vaſa cogi ut ſecedant, ipſa vero, in quibus impedimentum habetur, dilatari, deſtrui. Ubi porro circulationis impedimentum, ibi in circumjectis et ſubjectis partibus naſcuntur plerumque humorum inprimis ſeroſorum collectiones. Illinc puſtularum eruptiones, hinc tumores oedematoſi in quacunque phthiſi ulceroſa ex parte explicandi. In phthoë hepatica vero venis majoribus exeſis cava praeſertim inferiore, quae jecinoris ſubſtantiae quaſi innaſcitur, ſubito magna puris copia in ſanguinem recipitur. Etſi etiam hoc ipſum bonum ſit, brevi tamen poſt receptionem per pulmonum anguſtias fertur, ubi facillime haerere et ſubitam ſuffocationem procreare valet; et hic habes ex puris *volumine* natas noxas. Puris vero ſanguinisque *ſpecificae gravitatis* rationum conſtitutio ſummae difficultatis negotium eſt, quum aequalis neque ſanguinis neque puris diverſorum corporum quantitas una eademque gravitate gaudeat, cujus ratio in diverſa

par-

partium conſtituentium miſcela ſita eſſe debet. Docuit autem experientia, pus in aqua ſimplici fundum petere, ſanguinem contra cum illa magis miſceri, patet ergo, pus ſanguine gravius evadere. Quum autem fluidorum graviorum, fluidis motis ſpecifice levioribus admiſtorum indoles ſit, ut horum vi motrici reſiſtant, et inſequentium curſui obſtaculum ponant; quum porro corpora, quibus eadem cohaeſionis ratio, verſus invicem inclinent, ita quoque diviſa in ſanguinem reſorpti puris maſſa unire contendat: Ex omnibus hisce clariſſime eluceſcit, impedire in ſanguifera vaſa receptum pus liberum ſanguinis in hisce circuitum, et gravitate ſua ſpecifica idem fere quod volumine detrimentum procreare, dum irruens ſanguis puris particulas ad ſe invicem ipſas propiores cogat, quae attamen ob cauſas jamjam ſufficienter explicatas ita propelli non queunt, ut cum ſanguinis maſſa in corpore circumcurrere poſſint; hinc collecta copia ſanguiferi canales obſtruuntur, eademque progignuntur ſymptomata, quae ſupra expoſui. Evidentiſſime in oculos incurrunt ex reſorpti puris *acrimonia* pronaſcentes noxae.

Pu-

Putrida receptae ſaniei acredine univerſam quoque ſanguinis maſſam diſſolvi, manifeſte patet, quo facto omnes etiam ex illa ſecernendi humores, ut liquores gaſtrici aliique, putridam induunt indolem, ita ut ſuis ſummae gravitatis muneribus fungi porro haud queant; cuncta quoque excernenda diſſoluta et putrida evadunt, continentes partes acrimonia ſua irritant, ſicque varia ſymptomata maligna progignunt; obſervantur nempe ſudores colliquativi foetentes, ex quibus eruptiones cutaneae ſumme dolorificae naſcuntur; urina rubicunda, omnino et nigricans, ſummae putredinis ſignum, iſchuriae et ſtranguriae fons evadit; alvi fluxus obſervatur colliquativus copioſiſſimus putridiſſima et amurcoſa ſanie refertus: ruit enim haec ipſa vel immediato tramite per inteſtina, vel et per reſorptam hanc putrilaginem totus ſanguis disſolutus et putrefactus per vaſa meſaraica in inteſtina exit. Naſcuntur inde tormina omnino non raro et enteritides dolorum ardentiſſimorum fontes. Si autem porro tam acris ichor in toto corpore cum ſanguine per breve tantum temporis ſpatium circumagitur, non raro omnes univer-

ver-

verſae machinae functiones turbantur ſemel et ſimul, et quum ſanies non eadem qua ſanguis velocitate gravitatis ſpecificae et voluminis cauſa circumvolvi poſſit, hic illic in vaſis ſtagnabit; tumque ſi tenera pulmonum aeque ac encephali vaſcula ab acri humore erodantur, ſubitaque exinde mors oboriatur, non ſane habemus quod miremur.

§. XIX.

Puris ex hepatis abſceſſu per integumentorum communium aperturam evacuatio.

Ad quintam tandem hepatis abſceſſus exitus ſpeciem pervenio, quando ſcilicet is in parte hepatis anteriore et gibba ſedem figerit, ibidem et peritonaeo accreverit, ſicque tumorem externe notabilem producat, tumque vel ſponte integumenta perforet, perque haec ſibi viam paret, vel chirurgo operatione abſceſſum aperiendi officium imponat. Res eſt medicis notiſſima, in iis C. H. locis, quibus viſcera membranis circumdantur, in ſtatu ſano tenuiſſimum halitum ex minimis aeque viſceris ipſius, ac cingentis membranae ſuperficierum arteriolis exſpirantem unius

cum

cum altera coalitum impedire; praeſente contra alterius utrius partis inflammatione alteram hujus participem fieri, et partim ob earum calorem, partim ob humorum denſitatem phlogiſticam iſtum liquorem neutiquam exhalare, tumque iſtas partes facillime coaleſcere poſſe et ſolere. Cujusmodi rationem videmus pulmones inter et pleuram, cor et pericardium, et in noſtro caſu habemus hepar inter et peritonaeum. Quodſi igitur in hypochondrio dextro tumor naſcatur mediocriter circumſcriptus, in quo fluctuatio ſatis manifeſte ſentiatur, ſciatque medicus, laboraſſe antea hepatitide aegrum, hic ipſe ſi febre remittente cum exacerbationibus veſpertinis detineatur, caeteraque hac tractatione fuſius explicata ſymptomata appareant: Medicus omni jure vomicam in hepate haerentem opinari, et huic malo accommodata remedia applicare optima conſcientia convictus poteſt. Quas conditiones proponere oportuit, quum duplex praeter illum tumor eodem loco quandoque obſervetur, qui minus attento atque perito hepatis abſceſſus videri poſſet. *Primus* in veſicula fellis a bile incluſa oritur, cujus ſigna diſtinctiva §.

XIII. expoſuimus. *Altera* tumoris ſpecies naſcitur ex abſceſſu intra muſculos abdominis vel in peritonaeo praeſente. Faſi ejusmodi judicii IOANN. SCHENKIVS (r) mentionem fecit: *Puero*, ait, *ea parte qua muſculi recti ad ſternum pertinent, cum abſceſſu in ventre tumor manifeſtus, digito cedens obtigit. Vocati fere omnes judicarunt abſceſſum in rectis muſculis: alii in ventre, quia attenuato vehementer puero, et conſumtis muſculis, facile eminer et tumor. Pauciſſimi in hepate, (quod quibusdam hepar totum ventrem ad partes ſiniſtras pertendat.) Aperto loco, exiit pus viroſum et graviter foetens, corrupto peritonaeo. Abſceſſus ſedes in parte hepatis, quae illic perveniebat. Quod magis apparuit mortuo et diſſecto puero.* Confundi quoque ſubinde ex hepate tumorem cum peritonaei intumeſcentia quadam circumſcripta hic loci quandoque obveniente, teſtatur ARETAEVS (s), ſcripſit enim: *Tumor ſub mammis coſtisve aſſurgit, quem in peritonaeo eſſe, multi falſo opinantur. Verum ſi ſubter coſtas nothas tumor exſtet, jecur, dolore preſ-*

(r) Obſervat. medic. L. III. no. 24.

(s) De ſign. et cauſ. morb. diuturn. L. I. c. XIII.

preſſum, intumeſcit, quia humore plenum eſt, etc. Quicunque vero abſceſſus quum non potuerit quin phlegmone praegreſſa oriatur, obtenſa quoque praeſenti abſceſſui membrana aeque ac eius margines durante morbo continuo fere inflammatione laborent: In hocce caſu ſalutaris ille halitus ex utriusque ſuperficiei innatis arteriolis quod jam ceſſet, peritonaeum quoque inflammationis particeps fiat, hocque ipſum hepati adnaſcatur, non ſane mirum. Poſt factum coalitum praeſens in vomica pus quandoque intenſam ſibi membranam, peritonaeum, muſculos tumque integumenta communia perrodit, ſicque ſibi ipſum viam e corpore aperire conſuevit. Rarius vero huc pervenire ſolet abſceſſus, aeger enim, ejusmodi quid ſentiens, medicum vel chirurgum conſulet plerumque, qui, ut naturae praeveniatur, ſuadebunt. Quandoque vero accidit, ut famae ſuae conſulens abſceſſui ſui ipſius poteſtatem cedat chirurgus vomicam nimis magnam, et a puris evacuatione ſubitam mortem metuendam eſſe intelligens. Eiusmodi caſus FABRICIO HILDANO (t) obtigit, qui

 ad

(t) Obſervat. chirurg. Cent. II. no. XXXIX. p. m. 149.

ad aegrum vocabatur, in quo *cutis totius ferme lateris ab Ilii oſſe ad coſtas veras, lineamque albam et ſpinam dorſi puris plena elevata et extenſa erat. Dolor continuus et magnus, lipothymiae item, nauſea, appetitus viriumque proſtratio aderant.* Efflagitabant adſtantes, ut abſceſſum aperiret; propter maximum vero et inſtans mortis periculum, ne imperiti chirurgi nomen ſibi compararet, manum adhibere recuſavit. Poſt ejus abitum barbitonſor in conſilium vocatus vomicam aperuit, et maxima puris copia impetuoſe effluxit, et intra biduum aeger animam Deo reddidit. Alia inſuper cauſa conſideranda venit, cur iſte caſus, quo pus memoratam e corpore viam ſibi ipſum aperiat, rarius evenire queat. Fac enim, abſceſſum peritonaeo accreviſſe, omnino et hoc ipſum perforaſſe pus, nonne tum telae celluloſae ſeſe inſinuabit purulenta materies, et potius hydropem quaſi anaſarcam producet? Notandum etiam, non ſemper accreſcere peritonaeo vomicam: Et videmus igitur, in quocunque caſu chirurgi manus ad apertionis operationem invitari, quae ubicunque, abſceſſu vero non adnato prae reliquis caute atque provide inſtituenda,

enda, uti in ſequentibus, Deo vitam viresque prorogante, fúſius explicabimus.

Quem exitum in genere non aeque ac ullum ex praecedentibus periculoſum evadere, quicunque facile intelliget; non enim paucae ab obſervatoribus traditae ſunt hiſtoriae, quae talem phthiſin hepaticam ſanatam eſſe teſtantur, ubi abſceſſus adhuc ſatis novus, maſſa ſanguinis non inquinata erat, et cum ſelecta diaeta medendi methodus ratione et experientia conveniens adhibebatur. Si vero poſt vomicae apertionem (u) ichor flavus, fuſcus, lividus, niger, foetidus, ſpecillum colore iridis inficiens, ſanioſus, amurcoſus prodeat, ſenſim exedetur jecur; conſumetur aeger; fientque fere eadem ſymptomata, quae antecedente paragrapho deſcripta habentur.

§. XX.

De latentibus hepatis abſceſſibus.

Jam quum omnia, quae manifeſtos he-

 pa-

(u) BOERHAAVE aphor. de cogn. et curand. morb. §. 945.

patis abſceſſus concomitari ſolent, ſymptomata expoſuerim: Nunc quaedam de latentibus ut proferam meum eſt. Primo jamjam hujus tractationis paragrapho narravi, in hominibus, vel perfectae ſanitatis ſpeciem prae ſe ferentibus, vel vero quibusdam ſymptomatibus, minime vehementibus, hinc ab ipſis neglectis laborantibus, ſubitam quandoque corporis extenuationem natam, et mortem ſecutam obſervaſſe quosdam medicos, quum attamen mali originem ignoraſſent. Poſt cadaveris apertionem hepatis abſceſſus inventi, quorum vero aegris adhuc viventibus nulla vel pauca tantum atque incerta ſigna adfuerint. Quae quum ſic ſeſe habeant, latentis hepatis vitii et inprimis abſceſſus certiora quaedam ſigna inveſtigandi ſummi ſane momenti negotium videtur. Varios jamjam nec paucos medicos in hanc rem attentos fuiſſe haud quaquam dubito, inque hoc atque illo de hepatis morbis ſcripto quaedam huc pertinentia legi, in nullo vero, id quod aſſero, certa atque conſtantia ſigna inveni; neminem autem a me, utpote haud ſatis experto, iſta qui exſpectet, fore ſpero. Hic tantum, quae obſervatorum ſcripta perle-

legens inveni, quaeque ſinguli caſus, quos vidi atque attento animo obſervavi, memet docuere, proferam.

Scripſit in eximio, quo medicorum practicorum carere vix ullus poteſt, libro immortalis BAGLIVIUS de pleuritide occulta, qui morbus in minutiſſimis doloribus pungentibus in unico tantum pectoris loco, digiti acumine nunquam majorem ambitum complectente conſiſtit Febre notabili aliisve vehementibus ſymptomatibus non conſociatus, a plurimis eodem laborantibus fere penitus negligitur; plerumque vero, licet mitiſſimam ſpeciem prae ſe ferat, vomicam, peſſimarum ſequelarum ſcatebram progignit. Eadem quandoque in hepate ratio. Tangit modo animum memoria juvenis, optimae ſanitatis ſpecie praediti; in cujus corpore omnes ac ſingulae functiones rite procedere videbantur, qui etiam adverſus quaeſtionem de ejus valetudine nunquam hanc eſſe non optimam reſpondebat. Aliquando vero rarius de praetervolitantibus in dextro hypochondrio doloribus ex attactu praecipue vel preſſione conquerebatur. Nihili vero illos aeſtimavit, diae-

tam, jam ſatis lautam, ne in hilo quidem commutavit, et iſtorum dolorum cauſam potius in flatibus quam vero hepatis vitio latere credidit. Poſt duorum autem annorum intervallum pungitivi iſti dolores vehementiores evaſerunt, intumuit hypochondrium dextrum, habitus hucusque floridus evanuit, et hucdum occultus hepatis abſceſſus in manifeſtum commutatus aegrum intra anni intervallum conſumſit penitus, dum in amplam magnitudinem accretus abſceſſus ruptus materiem in abdominis cavum effunderet. Haec de doloribus ſufficiant; id tantum adjungam, ſentiri quandoque praetervolitantes dolores in hypochondrio ſiniſtro; cauſam vide paragr. hujus tractationis IX.

Ad corporis colorem, quandoque ſubflavum, animum advertendi, non minimi momenti exiſtit. Sed hic bene diſtinguendum, et concomitantia accurate obſervanda; non enim quicunque, flavo colore tinctus, hepatis vitio laborat, multoque minus eum, qui hoc colore caret, non de hepate laborare aſſeri poteſt.

De veris motibus febrilibus, cum typo

fixo

fixo nil proferam, tum enim ipſe aeger de malo ſuo anxius medicum in conſilium vocare ſolet. In ejusmodi vero ſubjectis, de quibus hic ſermo, vagos horrores, item non ſtatutis temporibus corporis praeſertim faciei calorem obſervavi.

In quibusdam tuſſis, ſatis vehemens, ſicca, absque doloribus apparet.

Quidam cordis palpitationibus imprimis poſt paſtum vexantur.

Plerumque et illi homines de ſapore amaro, ſaburra in primis viis, hinc et ſanae concoctionis defectu conqueruntur.

Haec ſunt, quae in variis ſubjectis, de quorum hepatis abſceſſibus dubitabam, poſtea vero his in manifeſtos tranſeuntibus perſuadebar, equidem obſervavi ſingula, in unica autem muliere cuncta conſociata inveni ſymptomata. Alii artis medicae periti latentium hepatis abſceſſuum certiora ſigna ſi obſervaverint, hosce, ut iſta mecum benigniſſime communicare velint, jam enixe rogo.

Unius praeterea ſigni hic mentionem faciam, quod cel. KLEIN (w) protulit, atque HIPPOCRATEM ejus inventorem pronunciavit. Ejus verba ſunt: *Abſceſſus hepatis latentes denunciant intolerabiles cruris aut ſurae dolores, nullis cedentes medicinis.* Quae quum ante nonnullos annos legerim, ab hoc ipſo tempore ad hocce ſignum praecipue animum adverti, et ingenue fateor, me quidem ſaepe, licet non in omnibus hujusmodi aegris, gravitatem et laſſitudinem extremitatum inferiorum in genere, nunquam autem veros omnino intolerabiles dolores, multoque minus in ſolo crure vel ſura obſervaſſe.

(w) Interpr. clinic. p. 129.

GOETTINGAE,

EX OFFICINA SCHVLZIANA.

Bey der Witwe Vandenhoek ſind zur Michaelis Meſſe 1783 fertig worden.

Beckmans Joh. Beyträge zur Oekonomie, Technologie, Policey- und Cameralwiſſenſchaft 8r Th. gr. 8. 9 ggr.

— ökonomiſche-phyſical. Bibliothek 13r B. 1tes St. 8. 5 ggr.

Claproths Juſt. Grundſätze von Verfertigung und Abnahme der Rechnungen ꝛc. gr. 8. 1 Rthl.

Eyrings Jer. Nik. pädagogiſches Jahrbuch ꝛc. 3tes St. gr. 8. 4 ggr.

* Hollmanns Sam. Chr. nöthiger Unterricht von Barometern und Thermometern, m. K. gr. 8. 20 ggr.

Hildebrand G. Fr. diſſertat. de pulmonibus, 4. maj. 4 ggr.

Leß Gottfr. über die Religion, ihre Geſchichte, Wahl und Beſtätigung in drey Theilen, 1r Th. gr. 8. m. Röm. Kayſ. allergnäd. Freyh. 1 Rthl. 16 ggr.

Schlözers Aug. Ludw. Staatsanzeigen 11s und 12s. 17s und 18s Heft gr. 8. 1 Rthl. 12 ggr.

Schroeder Theod. Guil. de phthiſi hepatica, Sect. I. Symptomalogiam ſiſtens, 8 maj. 4 ggr.

Spittlers L. T. Geſchichte Wirtembergs unter den Zeiten der Grafen und Herzoge, gr. 8. 20 ggr.

Wittkugels J. D. Arietten über geiſtreiche Ausſprüche der Pſalmen zur Unterhaltung am Clavier, fol. Caſſel 782. 16 ggr.